

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS  
DE  
BONARVM LITERARVM  
ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑ,

QVÆ  
SVB ET POST REFORMATIONIS TEMPVS  
SINGVLARI DIVINI NUMINIS  
PROVIDENTIA CONTIGIT,

QVA  
MVNVS PHILOSOPHIÆ EXTRA ORDINEM  
PVBLICE DOCENDÆ

A  
SERENISSIMIS ACADEMIÆ JENENSIS

NVTRITORIBVS

CLEMENTISSIME SIBI COLLATVM  
STRENVÆ SVSCIPIT

ET TVM

AD

ORATIONEM INAUGVRALEM  
CRAS HORA X. MORE CONSVETO  
IN AVDITORIO THEOLOGICO HABENDAM

TVM

AD

LECTIONES PVBLICAS HORA III.

DIE MERCVRII ET SABBATI *Hist. litt. gen.*  
SINGVLIS SEPTIMANIS *III. 56.*  
HABENDAS

COMMILITONES FVTVROS EA, QVA PAR EST, HVMANITATE  
INVITAT

CHRISTIANVS Stock,

PHILOS. PROFES. EXTRAORD.

JENÆ, TTPIS WERTHERIANIS.

Hist. liter.

189, 85





Ei immortalis eximiâ ac  
immensâ bonitate, pau-  
cis abhinc diebus, repur-  
gatæ divi Lutheri operâ  
religionis memoriam pie  
recoluimus, & pro tanto in nos collato  
beneficio, omnibus delibuti lætitiis,  
publicas ei nuncupavimus grates. Pu-  
blica ista festiva solennitas nobis in  
mentem revocat bonarum artium cul-  
tum, qui foedæ ignorantia cineribus to-  
tus ferme obrutus, bono omine rena-  
sci, & novum induere florem coepit. Si  
tempora, quæ tot bonorum votis expe-  
titam religionis reformationem ante-  
gressa sunt, sollicitius animo & cogita-  
tione lustramus, ac volvimus curatè,  
quantam, quæ sô, barbariem, quæ chri-  
stianum, qua patet, orbem occupave-  
rat, ubique deprehendimus? Qui Dei se  
in Ecclesia vices gerere, infano gloria-  
ban-



bantur ausu, non ipsi solum bonarum  
literarum rudes existebant, sed earum  
quoque ingentes erant ofores. De Pau-  
lo II. qui A. O. R. M CCCC LXIV. sedi  
præerat Romanæ, ingenuus Platina re-  
fert, *eum ita humanitatis studia odisse &  
contempsisse, ut ejus studiosos uno nomine  
hæreticos appellaret; Hanc ob rem  
Romanos adhortatus, ne filios diu-  
tius in scholis literarum versari pateren-  
tur, satis esse, si legere & scribere didi-  
cissent.* Aliorum, qui spurium Petri suc-  
cessorem exosculabantur, præcordia  
non minus bonarum artium & lingua-  
rum odium, vel fastidium invaserat, ut,  
teste Claudio Espencæo, Doctore &  
Episcopo Gallo, *in Autoribus latinis  
græce nosse suspectum fuerit, Ebraice au-  
tem prope hæreticum.* Et Erasmus Ro-  
terodamus, literarum Instaurator per-  
quam strenuus, in epistola ad Luthe-  
rum,



rum, tunc in Germania purioris Theolo-  
giæ & melioris literaturæ Phospho-  
rum, diferte testatur, istius seculi ho-  
munciones *bonas literas capitaliter o-*  
*diffe.* Sed cum Deus, τὰς χεῖρας τῆς ἀγνοίας  
ὑπερῆδ' ὄν, religionis, hominum vanis fal-  
satae commentis, instaurationem moli-  
retur, singulari ipsius contingebat pro-  
videntia, ut bonæ literæ ac scientiæ, quæ  
tenus hac humi prostratæ jacuerant, ex  
pulveribus se denuo erigere, & renatæ  
quasi novas subito vires, & incrementa  
quàm felicissima fortiri inciperent. Du-  
ces quasi earum & antesignani maxime  
strenui erant Budæus, Erasmus, Me-  
lanchthon, & complures alii, quorum  
nomina marmore ac cedro digna, ubi-  
vis terrarum eruditorum feruntur ori-  
bus. Musis redivis, quæ novercantis for-  
tunæ injuriis pressæ jacuerant diu, *Prin-*  
*cipum* nunquam satis laudandorum mu-  
nifi-



nificentia sedes concedebat ac dicabat  
amplissimas, ut virtutis, sapientiæ ac  
doctrinæ omnigenæ publica essent em-  
poria, quæ adirent, quorum pectora de  
meliori luto formasset Phoebus. Qua de  
re ὁ πάλιν Bœclerus, in Commentario de  
rebus seculi decimi sexti hæc facit ver-  
ba: *Ut meliores literæ sub Maximiliano  
I. renatæ: Ita sub Carolo V. maxima habue-  
re incrementa, tot novis Academiis Scho-  
lisque conditis, tot copiosissimis bibliote-  
cis excitatis, totque præstantissimis in o-  
mni scientiarum genere Doctoribus exor-  
tis, qui ejectis scholarum quisquiliis non  
modo purioris religionis doctrinam; sed  
gravioris etiam Philosophiæ & lingua-  
rum optimarum antiquitatumque studia  
longe majori, quam antea, diligentia, ele-  
gantiaque certatim excoluerunt, & tam  
Ebræorum, quam Græcorum ac Latino-  
rum omnis ævi monumenta eruerunt at-*



que excusserunt. Svasu enim Maximilianus I, Imperatoris gloriosissimi, Elector Saxoniae, Fridericus, Sapientis cognomine illustris, anno 1502, d. 18. Octobris, Academiam, quae Wittebergae floret, munifice excitavit, ut esset pietatis ac sapientiae officina, artiumque Mater foecundissima. Laudando hujus Septemviri excitatus exemplo, Philippus Magnanimus, Hassiae Landgravius, anno currentis istius seculi vigesimo septimo, Musis Marpurgi sacravit sedem, ut inde prodirent, qui Ecclesiae & reipublicae tandem operari possent. Elapsis posthinc annis viginti & uno, eximium Saxoniae Electorum Decus, Johannes Fridericus, *constantiae* in puriori fidei doctrina laude, toto celebratus orbe, almam nostram Salanam sapientissimo condidit consilio, ut esset sanae Verborum doctrinae domicilium, & scientia-



entiarum optimarum palæstra. Atque hoc illustre Athenæum sub *Serenissimorum Nutritorum*, qui virtutum gloria cœlo se proximos jam pridem reddiderunt, provida curâ ac tutelâ, ad nostra usque tempora, ringentibus licet adversariis, inconcussum stat, floret atque viget. Docentium pulpita tam publica, quam privata, optimis resonant doctrinis, quas Discentes ut hauriant, imbibantque animis, ex omnibus orbis terrarum angulis advolant. Cum ergo *Serenissimi* hujus celeberrimi Athenæi *Nutritores* Amplissimo Philosophorum Collegio non ita pridem me extra ordinem clementissime adscripserint, proxima Mercurii die, hora III, publicas, auspiciis divinis, auspicabor lectiones, postea eadem hora singulis Mercurii & Sabbati diebus, Deo annuente, eas omni continuaturus diligentia. Sedet autem  
ani-



animo celeberrimi quondam in hac Sa-  
lana Philosophi, jam vero meritissimi in  
Academia Iulia Theologi, Dn. D. Joh.  
Andreæ Schmidii Theologiam natura-  
lem tradere & interpretari. Id vero an-  
tequam fiat, more inde a multis annis in-  
olito, in Auditoriò Theologicò, Oratio-  
nem, quam dicunt inauguralem recita-  
re constitui, iis, queis debeo, demississi-  
mi cultus & gratæ mentis documenta  
exhibiturus. Ad quam ut *Magnificus*  
*Dominus Pro-Rector, Excellentissimi A-*  
*cademiæ Proceres, cæterique literarum*  
*Fautores ac Commilitones optimi*, cras  
hora X, frequentes compareant, faven-  
tesque mihi præbeant aures, demisse,  
officiose ac amanter rogo. P.P.

d. 21. Nov. A. O. R.  
MDCC XVII.

o)(o)(o